ANTONI MATANI PISTORIENSIS ... ORATIO DE RATIONALI PHILOSOPHIA EIUSQUE PRAESTANTIA HABITA PISIS 4. IDUS MARTI...

Antonio Matani

DE RATIONALI PHILOSOPHIA
EIVSQVE PRAESTANTIA.

39 / 0

ANTONI MATANI

PISTORIENSIS

IN CELEBERRIMA ACADEMIA PISANA

PUBLICI PHILOSOPHIAE PROFESSORIS

ORATIO

DE RATIONALI PHILOSOPHIA EIUSQUE PRAESTANTIA

HABITA PISIS IV. IDUS MARTI CIↃIↃCCLVII.

PISIS CIↃ IↃ.CC.LVII.

EX NOVA TYPOGRAPHIA IOANNIS PAULI GIOVANNELLI ET SOCIORUM

CUM ADPROBATIONE.

Εἰς μηδενὸς ἧττον παρεχόμεθα εἰκότας λόγους ἐγγενεῖς χεῖ. ἀ

ΠΛΑΤ. ἐν ΤΙΜ.

DE RATIONALI PHILOSOPHIA EIVSQVE PRAESTANTIA

ORATIO.

I quantùm ad humanas mentes, AVDITORES, amore Scientiarum optimarumque artium inflammandas eloquentia poteſt, tantum aſſecutus eſſem ingenii, ut Facultatem, quam mihi ex hoc loco profitendi munus impoſitum, oratoris optimi facundia celebrarem, expectationi profecto veſtrae reſponderet oratio mea. Cum enim hodierna die de Rationali Philoſophia ſit diſſerendum, cujus in reliquis addiſcendis Diſciplinis praeſtantia nullo non tempore celebrata auribus veſtris inſonuit, magnanimo permotus conſilio inſurgerem ad dicendum, cum fore confiderem, ut argumenta, quae mihi ratio ſuppeditat, omnium plauſibus conſonarent, atque animus veſter ab optima ratione dicendi non abhorreret. At vero ſi quis eſt unquam, qui in hac

hac toto orbe celeberrima Scientiarum Aula primum dicturus pudore quodam suffundi persensi, ego ille sum, qui parum valeo facundia, & exercitatione dicendi, & ingenita pene dixerim erga Vos ipsos impedior veneratione, cum minime posse videam propter magnitudinem rei eximias Facultatis huius laudes percensere. Quare cum mihi nunc contigerit peragendum quod veteri consuetudine receptum est, ut nempe qui Disciplinam aliquam pertractandam susceperint eiusdem laudes prosequantur, utinam in me tantus orationis nitor, & dicendi facultas inveniretur, ut quidquid emolumenti, dignitatis, & amplitudinis possidet Rationalis Philosophia Vobis accuratissime patefacerem: Tunc enim confiderem, Disciplinam, quam maiores nostri, quos omnium primos veritatis amor incenderat, summis laudibus sunt prosecuti, atque ad ipsos per Prometheum cum igne lucidissimo descendisse traditerunt, eiusdemq, laudes jucundissimas Vobis omnibus evasuras. Haec praestantissima Facultas est, quam omnium utilissimam olim Socrates judicaverat dum mortalium animos acceptis a recta cogitatione subsidus ad veritatis inquisitionem perducere conabatur, ut ipsi universam Philosophiam ab errorum caligine vindicatam amplecterentur. Ne itaque amplius dubia mens haereat, quamvis non in Areopago, ubi in tenebris agebantur judicia, sed in Vrbe ad agendum surrexerim alienа fere post Athenas doctrinarum matre, ubi tot Viri praestantissimi oracula sua effudere, colloquiumque video Etruscae iuventutis florem, atque ex aliis regionibus juvenes discendi cupidos, strenuosque sapientiae sectatores, qui oculos, & vultus in me convertunt, ferus humanitate, & patientia vestra argumentum exponam orationis meae, quo mihi propositi, quantum res ipsa postulat, demonstrare, ex vetustissimis Philosophiae Rationalis praeceptis maius Scientiarum incrementum fuisse profectum. Neminem sane vestrum late-

fatere arbitror, mortalium animos felicitatis amore inflammatos illam semper in votis habuisse beatitudinem, quae in perfecta quadam, & diuturna voluptate consistit, qua nulla est magis iucunda, & amabili, & quam nullus dolor, nullus timor, & nullae suspiciones perturbant. Cum autem huiusce modi voluptatem ex iucundissima summi boni possessione manare consueviſſe omnibus innotescat, necesse profecto est, ut quicumque illam sibi comparare desiderant idem inveniant, quod nonnisi rerum illarum, quae ad huiusmodi excitandam voluptatem accommodari videntur, cognitionibus obtinetur. Hoc ipsum suppeditare sapientia potest, cum ipsa aeternarum, factarum, & rerum, quae fieri possunt, earumque causarum Scientiam respiciat, quae rationis usu, percipiendo nimirum, cogitando, & loquendo comparata hominibus praesertim Philosophis enitescit. Quoniam vero mentis humanae imbecillitas limitibus amplissimis continetur, & in errores homo prolabitur quam saepissime, artis alicuius subsidiis eiusdem imbecillitas indigebat, ut ille optimum cogitationum delectum amplecteretur, cogitationesque proprias rite disponeret, rite que dispositas aliis hominibus patefaceret. Rationalis Philosophia, quae humanam dirigit mentem in suis operationibus ut veritatis semitam ingrediatur, huiusce modi abundat subsidiis, quae veritatem ipsam undique consectantur. Et quemadmodum ventas in illis inquirenda est cognitionibus, quae Scientias nobiliores constituunt, apparet Facultatem hanc non modo ad promovendam illarum cultutam, sed ad Scientias ipsas rite disponendas fuisse institutam: Fatendum namque est, tunc earumdem perfectionem innotuisse, quando nimirum constitutis Philosophiae Rationalis legibus Scientiarum praecepta, & illarum ornamenta quaedam veterum sapientissimi coluerunt, & pulchritudinem admirati sunt, quod arbitratus sum Vobis hodierna die me audientibus de-

demonstrare. Neque improbandum a Vobis esse arbitror quod ad ostendeudum aggrediori Quotiescumque enim Facultatis huius praecepta elapsis retro temporibus usurpata fuisse patebit, utilia esse cognoscetis, & cum ex his Scientiarum incrementa ortum habuisse videbitis, necessaria omnibus esse nou denegabitis Quare adeste animis, Auditores, & si quid splendidum, & iucundum in nobilioribus Facultatibus deprehendirur a recta cogitandi ratione constituisque praeceptis profectum esse monstravero, iam eluceſcet utilitas Rationalis Philosophiae Dum autem ad id peragendum paratus sum, Vos oro obtestorque, ut me pro humanitate vestra benigne audiatis.

Atque ut ordine quodam progrediantur vetustissima Scientiarum incrementa nunc exponeuda, Vobis non erit, ut arbitror, iniucundum si prius Rationalis Philosophiae progressus, eiusdemq; constituta praecepta, è quibus incrementa ipsa fuut deduceuda, inquirantur, quae tametsi vetustissima, proprium rameu tempus aguoscuut cum primordiis Scientiarum iure meritoque comparandum. Neque is ego sum, qui nimis remota mundi tempora perlustrare velim, ut Vobis ostendam Facultatis huius praecepta apud singulas uationes fuisse elapsis retro temporibus constituta Compertum namque est omuibus, homines ad praeclara quaedam facienda genitos adeo ratioue compotes esse procreatos, ut naturale quoddam eloquium a recta cogitandi ratione derivatum semper ostendereut, & ad contemplationem creatarum rerum disponereutur Deus enim homiues procreavit, ut suorum operum pulchritudinem non solum aspicerent, atque cognoscerent, sed assidua voluptate possent iuterpretari. Coelestem igitur ac pene divinam cogitandi vim, & cognitionum adipiscendarum amorem illis concessit, atque hoc ipsum uon ignoramus esse praeclarum donum concessum mortalibus, quo proprias mentes ab errorum caligine vindi-

Digitized by Google

dicarent, & ad altitudinem coeleſtis originis tollerent, ut abditis rerum cauſis è ſuis latebris evolutis naturae detectam intuerentur propriis mentibus maieſtatem. Quod ſi optimae cogitationis velimus conſiderare principium, hoc ipſum ex optimis cauſis natum fuiſſe agnoſcemus, & ex optimis rationibus fuiſſe profectum. Quoddam etenim extitiſſe tempus non ignoramus cum in agris beluarum more paſſim homines vagabantur, nec quidpiam rationibus animi, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant, nondum Divinae religionis, non humani officii ratio colebatur, nemo legitimas viderat nuptias, non certos quiſquam inſpexerat liberos, ſed propter errorem, atque inſcitiam coeca, ac temeraria animi dominatrix cupiditas ad ſe explendam corporis viribus tamquam pernicioſiſſimis ſatellitibus abutebatur. Tunc autem vir ſapiens, ac bene cogitans aperte cognovit quae materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas ineſſet animis hominum, ſi quis eam poſſet elicere & praecipiendo meliorem reddere. Hic ſane diſperſos in agris homines, & in tecta ſylveſtribus abditos ratione quadam in unum compulit locum, & congregavit; huic ens propter inſolentiam reclamanti, & propter rationem orationemque ſtudioſus audienti, in unamquamque rem inducens utilem, atque honeſtam, ex feris, & immanibus reddidit mites, & manſuetos. Ac mihi quidem videtur hoc nec facta, nec inops dicendi ſapientia perficere potuiſſe, ut homines a conſuetudine ſubito converteret, & ad diverſas vitae rationes traduceret: Optima namque cogitandi praecepta requirebantur, ut homines optimum vitae genus arriperent, & ad veritatem ipſam dirigerentur. Illud autem pro certo habendum, in ipſis mundi primordiis dum homines inter ſe mutuo loquerentur, errores plurimos detexiſſe, atque ad eos depellendos quaedam uſurpaſſe praecepta, ut cum animi cogitationem ab erroribus revo-

cassent, se ipsos ad consectanda veritatis vestigia perducerent. Quis inficiabitur potuisse illos de singulis rebus disserere, ab inutilibus utilia seiungere, & quaecumque in hac societate adhibenda sunt, quae vero fugienda praenoscere? At enim illud vel maxime inquirendum, quando optimam cogitandi rationem accuratius tractaverint, illiusque praecepta scriptis ediderint. Id vero nonnisi a Philosophis Eleatensibus acerrimarum sectatoribus disputationum, & cumprimis Zenone, & Democrito praestitum perhibetur, qui propriis libris Athenaeensibus tradidit, & ab iis libentissime excepti tantam sibi famam comparavit, ut quaecumque ab ipsis dicterentur veluti e coelo delapsa putaverint. Videbant enim homines illi sapientissimi, vtilora quaeque omnibus in promptu esse, utiliora vero summis assiduisque laboribus comparari. O inexhaustum universae sapientiae thesaurum humano generi paratum! O praeclarum tempus Scientiis promovendis dicatum! O nos felicissimos, quibus vera doctrinarum semina amplectendis scopulis implicata retegitur! Non amplius obscurae voces explanatione destitutae superstant, aut vocis cognoscendi inutilis est, & inducto rerum supervacanea. Iam res universae in suas partes distribuuntur, latentes dehinc explicantur, obscurae explanantur interpretando, & quae sunt ambiguae dignoscuntur. Non tot cantisque dignum laudibus hunusmodi studium Stoici censuissent, & sine hoc neminem esse posse sapientem è tripode pronunciassent, nihil credidisseut esse omnibus cuiuscunque indolis necessarium. Quod si Epicureorum scholas intueamini, hanc artem non amplius mirabimini excultam esse supra caeteras veluti praestantissimam. Ipsa demum Rationalium Philosophorum praecepta ad universas propemodum Orientales plagas delata summopere floruère, & per Europam, Asiam, & Africam propagata valde profuerunt hominibus. Exultarunt

runt praegaudio gymnasia Graecorum, & Atabum celeberrima, exultavit Phoenicia, exultavit Italia, exultavit demum universus orbis, optimaque praecepta illis temporibus adinventa, è quibus manarunt omnis sapientiae fontes, mirifice fuerunt amplificata. Neque novum quidpiam, & inauditum me afferre arbitremini, Auditores. Dum enim de removendis corrigendisque intellectus erroribus agitur, quis nam abhorrebit a veritate, hominesque illoa sapientissimos insolita cogitandi ratione non admirabitur? Parcite quaeso imperitis hominibus errorum caligine obcaecatis, adversus eos, qui recta ratione utuntur, iniuste indignantibus. Nam etsi natura comparatum sit, ut omnes quicumque vivimus pari sorte nascamur, bene ac sapienter institutum est, ut sola virtute distinguerentur. Et quemadmodum non desunt qui pro prudentia prosecutur astutiam, ita profanum & ignobile vulgus Rationales Philosophos aspernatur quotiescumque veritatis inquirendae cupidine delectentur, & pro sapientia stultitiam diligit, omnibusque viribus a recta cogitandi ratione deflectere minime dedignatur. Neque aliquis vestrum fortasse miretur celeberrimos extitisse viros, qui Rationali rerecta Philosophia quidquid ad mores hominum referri posset esse duntaxat excolendum decreverint. Haec etenim callida fuerat Barbarorum industria, qui ut incautos illotum temporum homines facilius deciperent, a sublimioribus cogitationibus eosdem avertere decreverunt. Fuerat haec olim absurda Cynicorum opinio, quam in ipso exortu interitum expertam fuisse non ignoramus. Elegantioribus quippe doctioribusque praestantissimorum virorum ingeniis non improvida nuditas, non baculus nodosus, cui senes & iuvenes incubuerant, non denique incumpta canities demissis humeris superstructa, & reliqua Cynicorum supellex avriserat, sed vera cogitandi methodus inutilibus hisce rebus anteponen-

da magis visa fuerat necessaria ! Agnoverunt profecto celeberrima illa Philosophiae lumina, & non absque omnium utilitate agnoverunt, nihil utilius in homine reperiri, quam ut verum a falso seiungeret, humanamque rationem sibi concessam tam bene dirigeret, ut in singulis vitae muneribus exequendis errores relinqueret, & veritatem è profundis latebris eruiam amplecteretur. Atque ut vera fatear nemo inficias ibit, humanam mentem, quae principium est cogitationum omnium, tot tantisque errorum ambagibus implicari, ut vix admodum accedat ad veritatem ipsam, cuius est avidissima, consequendam? Hinc etenim dum quisque nascitur obversatur menti ignorantia cum intellectus imbecillitate, & voluntatis corruptione coniuncta; hinc dum adolescit per varia distrahitur, consectatur voluptates, a labore deflectit, atque universum vitae spatium traducat permultis animi affectibus delinitus. Hi attentionem, & voluntatem a praeclaris rebus avertunt, falsa pro veris obviudunt, ideas & iudicia corrumpunt, ambitionem, invidiam, indignationem fovent. Aliquam profecto veritatis assequendae cupidinem hominibus natura concessit; sed ipsam celeriter malis moribus, opinionibusque depravatam ille restinguit, ut nusquam naturae lumen appareat. Quamvis autem ille inermia, ille imbecillos inficiari minime possit esse ingenii nostris semina innata virtutum, quae in adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret, ille tamen simul atque in lucem edidit, & susceptus est, in omne continuo pravitate, & opinionum perversitate versatur, ut pene cum lacte nutricis errorem sorbisse videatur. Quomodo igitur ille miser, ille infirmus ad veritatem, illiusque splendorem, qui lucet in tenebris, tot oppressus angustiis potest pervenire? Quibus armis ad congrediendum cum vaferrimis veritatis hostibus utetur? Quam iniistet viam? Attamen quemadmodum remedia non deberet, quibus corporis sa-

ſalubritati proſpicerentur, eiusdemque depellerentur aegritudines mortalibus infenſiſſimae, ut toi periculis obnoxii homines, ſi natura pateretur, immortales evaderent, ita auxilio intellectus, qui ea eſt praecipua mentis facultas, qua homo percipit, cogitat, & quaecumque percepit cogitavitque caeteris exhibet, hallilem arcere tot rerum naturam maximum ſane facinus illi non erit, & difficillimum Et revera cum ille ad veritatem ſibi comparandam diſponitur non modo corporis proprietates contempłari non renuit, ſed etiam praenoſcit aliquid in ſe ipſo reperiri quod cogitet, & res extra ſe poſitas ſenſuum auxilio percipiat, illarumque ideas etiam abſtractas adipiſcatur, agnitaſque rerum perceptiones inter ſe comparet, & ex aliqua praecognita veritate alias inveſtigare valeat, ut quidquid proinde bonum, & utile ſibi futurum agnoverit amplectatur, & quidquid pravum, & inutile apparet protinus averſetur. Hinc fit quod ille fovetur, & nutritur in inquirenda veritate, quam ex aſſidua Scientiarum cultura ſibi comparare conſuevit, creſcit, & pene dixerim amplificatur dum aliorum res praeclare geſtas admirari non ſinit, ad eorumdem pervenire gloriam nobili aemulatione deſiderat, propriae obliviſcitur imbecillitatis ut cum aliis pari gradu contendat, protrahit mentis operationes, & ad difficillima quaeque percipienda diſponitur, & quemadmodum ſolertiſſimus pictor ut formoſam efficiat imaginem, & aſpectu elegantem, puriorem prius concipit illius ſimilitudinem, ita ille veritatis inquirendae cupidus ad nitidam propriorem-que illius perfectionem intellectu prius perſeruandam aggreditur, ut ad diſcipiandum de ſublimioribus rebus abſque ullo diſponatur impedimento. Poteſt ne quidpiam excogitari magnificentius, excellius, admirabilius? Quamvis autem Scientiarum haec munera ſint cum nullo alio, quo in hac vita fruimur, conferenda, tamen & Scientus ipſe poſt ex-

cul-

cultam cogitandi rationem non parum acceſſit utilitatis: Cum enim Graeci, quorum induſtria in excogitando, & in docendo ſolertia aliis laudabiliot eoſdem reddiderat celeberrimos, aden ut priorem velutt locum apud ſapientes obtinuerint univerſos, Poetarum dictis tnniterentur, quos omnium antiquiſſimos veritatis inquirendae rationem amplexos eſſe crediderant, ipſiſque tamquam Sybillae ſolus, ant Ammonis oraculo crederent, Sophiſtae in Graecia ipſa degentes a Rationalibus Philoſophis oppreſſi ſunt, qui conſtituto naturalium rerum examine, & perfectae rationis legibus, Scientias, quas ipſi fabuloſe condiderant, mirifice illuſtratas amplificarunt. Fuit illud olim admiratione dignum Sophiſtarum imperium, quorum ſapientiam ita orbis univerſus admirabatur, ut illis duntaxat Sophiſtarum nomen tribueret, qui prius ſapientiae ſtudium ita profeſſi eſſent, ut Philoſophiam cum eloquentia coniungere didiciſſent. Verum enim vero eorumdem inſaniam eo uſque deveniſſe compertum eſt, ut huiuſcemodi nomen coeperit evileſcere, falliſque tantummodo Philoſophis aſsignari, adeo ut ſapientiae ſtudium alibi veteres agnoverint florniſſe. Tunc Arabum ſapientia è Graecis fontibus hauſta, & ad ſcholas Aegyptiacas, & Africanas delata longe perfectior evaſerat cum traditis ab Ariſtotele ſapientiſſimo magni Platonis diſcipulo bene cogitandi praeceptis, quidquid ad Medicinam, Chemiam, & res naturales pertineret, univerſamque Philoſophiam veterum Scholaſticorum ambagibus etaplis retro ſaeculis inquinatam ſubtilius, atque omnibus tagenis viribus coluerunt. Vos teſtes appello nobiliſſimarum Scientiarum parentes, quorum nomina nulla unquam delebit oblivio, Vobis literatorum reſpublica multum debet, Vobis res omnes obedire non dedinunt, Vos omnia moderamini, Vobiſque natura ipſa videtur obtemperare. Nemo igitur nonnisi temere inficiabitur, veſtros in pronoven-

vendis, augendisque Scientiis progressus a recta cogitandi ratione, constituisque praeceptis profectos esse. Et siquidem, Auditores, ad praecipuam orationis partem delatum me esse video, qua inquirendum superest, utrum ex inventis Philosophiae Rationalis praeceptis maius Scientiarum incrementum in deducendum, convertimini quaeso ad nobilissimam Disciplinarum omnium, in qua de Deo, divinisque rebus disseritur, quae procul dubio quanto humanis divina, coelestia terrenis antecellunt, tanto est caeteris omnibus anteponenda, cum illius cognitio hominibus felicitatem polliceatur, ignoratio exitium quam maximum minuterur. Praestantissimas huius leges e sacris libris depromptas, & a sapientissimis interpretibus illustratas, quae cum ad Dei cognitionem perduxerint optimam vitae rationem proponunt, licet unusquisque pulcherrimas agnoscat, & clare dispositas, non defuere tamen qui pravas doctrinas splendida veritatis specie latenter insinuare non erubuerunt. Primi proinde illorum temporum praeceptores cum plane cognoscerent ad exercendos auditores suos ut contra fidei hostes pugnarent, esse discutiendum quidquid humana ratio suppeditaret, Rationalium Philosophorum loquendi rationem, quam ipsi Christianae religionis hostes Melanchtone praesertim duce venerabantur, amplexi sunt, ut callidas inimicorum astutias agnoscere, agnitasque refellere potuissent. Tunc autem id optime praestitum deprehendimus cum ad detegendos, reiciendosque ipsorum errores bene cogitandi leges a Rationali Philosophia derivatas traductas vidimus, ut qui incautis obrepere meditabantur maximo pudore suffunderentur, & viri illi praestantissimi ipsorum audaciam retunderent, deprimerent, coercerent. Videte in quam alto fastigio adversus falsam illorum doctrinam divinas res collocaverint toi Sanctissimi Ecclesiae Patres, & Philosophi praestantissimi, quorum ingenia demi-

re-

remur oportet in scriptis, dum virtutes in templis venerari summopere delectamur. Sed quis erit dicendi modus, si omnia, quae ad res divinas referri consueverunt, enumerando percensere velim? Non ego ad differendum surrexi de mysteriis, quibus fides innititur, de Scholasticorum disputationibus, de interpretatione librorum, nihil ego dicam de rebus aeternis, in quarum instituenda contemplatione summorum virorum labores tantopere commendantur. Maius quippe ingenium, maius eloquentiae flumen requiritur. Optima tamen rationis praecepta à primo veritatis fonte deducta, atque humanis mentibus inspirata, constitutisque regulis innixa eo usque devenerunt, ut difficiliora quaeque omnibus propemodum sublimiorum rerum imperitis solertissima methodo demonstretur. Itaque non amplius mirandum sit bonum a malo, iustum ab iniusto dignosci facilius possit, morumque delectus constituatur, & quidquid ad vitae bonitatem, honestatemque dirigitur omnibus enitescat. At vero sicuti homines in vitia prochives in deteriora proruunt quam saepissime, sanctae sunt legas ut mores componerent, eorumque pravitas a bonitate secungeretur. Quamobrem legum interpretatio, sive naturales, sive civiles illae sint, ut servetur iustitia, tranquillitas, populorum felicitas, regnorumque stabilitas, semper visa est necessaria, & tunc maiorem lucem adepta est, cum non solum a Rationali Philosophia manavit, sed cum leges ipsae fuerint a Philosophis constitutae. Testes habemus Solones, & Lycurgos illos toto orbe celebertimos, testes Pertandros, atque Charondas, testes Zaleucos, & Numas Pompilios legum conditores, & Philosophos praestantissimos, testes Tuberones, & Scevolas, qui Stoicam Philosophiam a Panaetio didicerant, & recte cogitandi ratione in condendis, & interpretandis legibus usi sunt; testem habemus Italiam nostram Scientiarum optimarumque artium gloria praestantissimam,

ſimam, in qua Philoſophi omnium celeberrimi Pythagoraeorum placitis mirifice inſtructi leges duodecim tabularum è Graecia delatas, & ab Hermodoro Epheſio latine redditas illuſtrarunt. Cum itaque Romanorum iura è Philoſophiae fonte deduxerint, nemo non videt quantum ſplendoris ab optima cogitandi ratione receperint, cum leges nihil aliud ſint niſi rationes, quae imperant, & excellentium ſententiae Philoſophorum, quae in publica imperia ad utilitatem humani generis convertuntur. Medicina ipſa mortalibus inſpirata divinitus, & forte quadam in illius exortu amplificata, ab Aſyriis, Babyloniis, Aegyptiis, & Chaldaeis primum exculta, & longe lateque diffuſa, hominibus, qui perfecta uti ratione inceperunt, non maximam dumtaxat utilitatem, & ornamentum eximium, quo condecoratur, accepium refert, ſed progredientibus exinde temporibus Rationalis nomen obtinuit, ut in faſtigio longe maximo a veterum placitis ſeiuncta collocaretur. Cum autem maiores illius progreſſus ex obſervatione deductos eſſe compertum ſit, nemo non videt quantum mentis acumen, quantam foret adhibenda ſolertia, ut quidquid obſervatum eſſet rite aliis oſtenderetur, inſtitutiſque obſervationibus inſignioribus iuſtiſſima rerum inductio conſequeretur. Tunc ipſam a veteri, & fabuloſa ſuperſtitione accepimus deſciviſſe, cum illi profiteri coperint, qui primum Philoſophica cogitandi praecepta non prius uſurpata ad Medicinam tranſtulerunt. Vidimus Thaletem, & Epimenidem, Thoxarum, & Pherecidem, Empedoclem, & Pythagoram, Alcmeonem, & Epicarmum Philoſophos praeſtantiſſimos Medicinam a turpi Barbarorum iugo, & doctiſſimorum hominum pene innumerabilium auxilio a ſqualore, & ſenio vindicaſſe, ut magnum decus, & dignitatem recuperaret: Et quemadmodum neceſſe erat ut Alexander ille Macedo nonniſi ab unico depictus Apelle etiam ab unico Ly-

sippo fingeretur, ita nonnisi Viri illi sapientissimi fabulosae superstitionis, quae iamdudum irrepserat, impetum retundere, & antiquae salutatis iugum conterere, omnibusque ingenii conatibus excutere potuissent. Sed quae mea mens est, quod consilium, Auditores? Nonne videtis Philosophiam ipsam, quae Facultates complectitur universas, divinas res, & humanas exhibet discutiendas, ipsamque naturam contemplatur, tum praecipue amplificatam fuisse cum recte cogitandi constitutis legibus a veteri servitute liberata in apertam lucem deducta est? Non ego Persarum Magos, Indorum Brachmanes, & Gallorum Germanorumque Druidas, non sapientiam Getharum a Zamolxi, Scytharum ab Anacharsi, Syoensium a Confusio receptam in medium proferam, non Sydonis, Phoenicibus, & Lybicis concessam a Mocho, Sanchoniatone, & Atlante doctrinam commemorabo. Intueamini quaeso sectarum nobilium Philosophos, illorumque disputationes, quae eo usque devenerant, ut quidquid ab illis naturae interpretibus subtilius, & acutius inveniretur pertractare non sinerent. Quamobrem si quid de proprietatibus corporum, de triplici naturae regno, de hominis fabrica, de rebus coelestibus, aliisque rebus innumeris differendum occurreret, protinus examini sedulo esse submittendum decernebatur. Quomodo autem observata fuissent incrementa Philosophiae, hominumque doctissimorum placita emersissent, nisi leges quaedam optime utendi ratione forent propositae? Fabulosa veterum facinora declarant quantum a vera cogitandi ratione aberrarent qui adeo falsas res, & absurdas cum veritate miscebant, ut nonnisi magno labore distincta fuerint: Etsi etenim fabulis eruditamur, & delectemur, tamen prodesse nequeunt nisi optime selegantur. Ac profecto si Ethnicorum tantummodo errores, & simulatae veterum Poetarum imagines, quae multorum

tum admirationem extorqueri, memoria repetantur, tum immutatas fuiſſe nemo inficiabitur, cum regulae conſtitutae ſunt, quibus verum a falſo diſtingueretur. Haud ſane Faunos, & Satyros formidaſſent, ab Herculis viribus pertetriti lapſi eſſent, & a Syrenarum illaecebris delinitti, aliiſque falſis decepti imaginibus, ſi accurate cogitaviſſent. Videte igitur quantum laboris eſſet impendendum Hiſtoricis ut inter fabuloſas illorum fraudes veritatem aſſequerentur. Rationalis Philoſophiae munus eſt ſi populorum mores, regnorum incrementa, pugnarum eventus, heroum naturam & religionem, honores, divitias, magnanimitatem & praeclara facinora deprehendimus. Sed cum videam, Auditores, in quam uberem, & ſpatioſum dicendi campum orationem demiſerim, nihil ego de reliquis Diſciplinis, optimiſque artibus, nihil de illarum origine, & incremento, nihil denique de ſingulis proprietatibus loquar. Plura namq; quam par eſt, Vobiſque forſitan iniucunda proponerem ſi de exponendis Scientiarum progreſſibus meditarer. Neminem fugit permulta ignota fuiſſe veteribus, quae ſi recte cogitandi praecepta fuiſſent conſtituta, prius innotuiſſent. Rationalis Philoſophiae utilitas in omni eruditionis genere admittenda in eo ſita eſt, ut quidquid occultum, & non ſatis cognitum deprehenditur mentibus humanis affulgeat, & quidquid iam perſpectum, exploratumque fuerit eo clariori luce conſtituatur. Nihil mehercule excogitari poteſt laudabilius quam ut veritatis veſtigia conſectemur, ipſiuſque amore inflammati ad ſublimiorum quarumcumque rerum contemplationem rapiamur. Quotusquiſque eſt inter mortales, qui ad id praeſtandum paratus tantopere cognitione rerum non delectetur, ut otii blandimenta contemnat, & nulla illum paupertas, nullus labor, nulla aerumnarum recordatio a ſublimioribus cogitationibus averiat? Non illi civiles diſcordiae, vitatorum naufragia, privatorum diſſidia

moleſtiam ferunt. Abſtinet a ſpectaculis, oblectamenta reformidat, nihilque niſi veritatem aſſequi concupiſcit. Superent alii divitiis Crueſum, cupiditate gloriae Alexandrum, Africanum maiorem magnificentia, & genus ab Inacho ducant, nulla illi premuntur invidia, & nihil admodum perturbatur. In ipſo tegenti lumen effulget, recte cogitandi ardor effervescit, & veritatis amor apparet. Ad vetuſtiſſimos ſapientiae cultores ut humanarum rerum contemptum in inquirenda veritate contemplari poſſitis, mentem animumque convertatis neceſſe eſt. Videbitis Anaxagoram, qui omne patrimonium ſuis conceſſit, omnemque rem publicam privatamque neglexit ut veritatem aſſequeretur. Videbitis Carneadem adeo cogitationibus inhaerentem ut cibum capere obliviſceretur. Videbitis Scipionem, qui in medio belli apparatu Rationalis Philoſophiae, optimarumque artium ſtudia non praetermiſit. Archimedem videbitis; illum, inquam, Archimedem, qui tanta correptus fuit veritatis admiratione, ut capti Syracuſis non illum armorum ſonitus, cadentium tectorum fragor, civium clamor a ſublimioribus cogitationibus averterint, non illum ſtrepitus plebis, qui undique circumſonabat, non tot peremptorum hominum ſtrages, non denique infortunia, quae omnibus imminuerant, potuerint illum ab inchoatis inquiſitionibus revocare. Quid plura? Mortis formido, a qua omnes abhorrent, dum altos ad internecionem uſque deletos audiviſſet vix illi fuit impedimento. Cum enim a milite, qui praedandi gratia domum irruperat, ipſius vita Marcelli juſſu ſervanda eſſet, nomen illi ſuum oculis alto defixis non indicaſſet, ferit cuſpidem corpore prius excepit, quam Syracuſas ab hoſtibus dirutas eſſe perſenſerit. O inſignem, & praeclarum veritatis amorem omnium vocibus praedicandum? O praetioſum totius ſapientiae theſaurum, cujus divitias aliis omnibus pretioſiores quo plus abunde guſtaveris, eo plus guſta-

re

re desideres! Quae cum ita se habeant, quis nam inficiabitur Scientiarum incrementa ex altiorum summorum Virorum cogitationibus esse deducenda? Veruntamen cum tanta rerum obscuritate hominum mentes perculsae a falsis rerum imaginibus taperentur, & in tenebris trepidarent, extitere sapientes Viri, qui cum facilius post constituta bene cogitandi praecepta esse promovendam Scientiarum culturam deprehendissent, eas auxerunt novis inventis, atque ordine faciliori locupletarunt. Cuicumque igitur, qui veritatis assequendae cupidine trahitur, & summopere delectatur haud aliena a Scientiis instituenda via est, ac si in iis proficere velit Rationali primum Philosophiae manum admoveat, ipsamque condiscat, ut ad illarum perfectionem valeat pervenire. Hanc profecto sententiam celeberrimos detexisse Viros agnoscimus, qui in promovendo Philosophiae Rationalis incremento haud leviter insudarunt. Nonne summis erunt laudibus celebrandi Viri longe doctissimi Franciscus Baco a Verulamio, Antonius Arnaldus, & Nicolaus Malebranchius. Quis nam inficiabitur Rationalem Philosophiam multum debere clarissimis Viris Joanni Claubergio, Erhardo Wemgelio, & Walthero Tschirnausen? Quis nam Joannis Lockii, Joannis Clerici, Christiani Thomasii, Petri Poireti, Andreae Rudigeri, Petri de Crosa, & Christiani Wolfii assiduos labores non admirabitur? Quis denique non agnoscet plurimum veritatis inquirendae cupidis profuisse Antonium Genuensium & doctissimos Pisanae Academiae Viros praestanti ingenio praeditos, & de Rationali Philosophia optime meritos, quorum literariis laboribus assiduisque cogitationibus Scientiarum augmenta promota sunt? Sed cum agnoscam, aut agnoscere mihi videar, esse aliquos vestrum forte cupientes quid nam in tradendis Philosophiae Rationalis praeceptis ego ipse, qui inter celeberrimae Academiae Pisanae Professores, licet immeritus, peculiari munificentia sum coo-

ptatus, ad communem adolescentium utilitatem sim prolaturus, sciatis velim universam Rationalem Philosophiam in quatuor sectiones exhibere divisam me decrevisse, quorum prior praecipuas humanae mentis complectetur operationes, & alteri viam sternet, in qua de veritate, humanisque cognitionibus acquirendis disputabitur, adeo ut quae inde sequetur methodum comprehendat, qua cognitiones ipsae comparari, & disponi queant, atque aliis patefieri, postrema vero circa criticas leges versetur, quarum subsidio celeberrimorum scriptorum libri, & opiniones interpretentur, & quae illorum scripta vera sint dignoscantur. His tamen rite praecognitis adolescentes veritatis amore inflammatos sperandum est facilius in addiscendis Disciplinis nobilioribus profecturos. Sed quae nam utilitas esset a nobilioribus Facultatibus expectanda nisi Rationalis Philosophiae studia cum Artis Criticae cognitione conjungerentur? Haec nobis apere demonstrat quid sit perageandum, ut ex ratione scribendi cum loquendo conjuncta non modo cognitiones nobis plurimas comparemus, sed etiam ut veteres praecipue scriptores intelligamus. Nihilenim excogitari potest utilius quam varios scriptorum sermones agnoscere, multiplices locutiones interpretari, & cognitionem consequi necessariam, cujus subsidio de ipsorum libris judicia ferre tutissima valeamus. Neque is ego sum qui ex nobilioribus Scientiis velim exempla depromere, ut Vobis ostendam, Rationalem Philosophiam cum Arte Critica conjunctam esse omnibus usurpandam, cum ex ipsis Scientiarum studiis facilius appareat non solum esse utilissimam, sed omnibus cognitionum adiscendarum cupidis summopere necessariam. Hoc ipsum intelligere duntaxat potestis, Auditores, si ad universam Historiam vestrum animum convertatis. Haec sane humani generis principia nobis exhibet consideranda, quorum ope ad cognitionem aeternarum rerum Artificis perducamur; veterum

rum populorum conſuetudines pateſacit, quas ad optimum vitae regimen inſtituendum poſsumus adhibere, omneſque rerum eventus exponit, quorum ſubſidio cautiores, atque mitiores evadere poſsumus. Hoc ipſum autem abſque Rationali Philoſophia, & criticis legibus obtineri minime poſse non ignoramus, quotieſcumque veritatem ſeiungere velimus a falſitate. Quemadmodum enim humanioribus literis humanus animus rudis, & indiſertus, falſiſque imbutus cogitationibus expoliitur, ita falſae opiniones in perlegendis Hiſtoriis praeconceptae Philoſophiae Rationalis, & Artis Criticae uſu reſciuntur, & vera rerum iudolea facile omnibus innoteſcit. Vos igitur poteſtis agnoſcere, quantum in omnibus Facultatibus addiſcendis huiuſcemodi ſtudia prodeſse poſsint ſi fuerint neceſsariis adhibitis cautionibus inſtituta. Quare ad Vos ſe vertit oratio, Iuvenes ornatiſſimi, qui nobilem, & iucundam Scientiarum viam inire decreviſtis. Vos illas addiſcere facilius poteſtis ſi prius Rationalis Philoſophiae praeceptis, a quibus maiora Scientiarum incrementa manarunt, imbuamini. Iudoles, & ingenium veſtrum in lucem Velim Vos deduxerint, ut rite perſpecta veritatis inquirendae ratione gloriae veſtrae proſpiciendo reipublicae utiles evadatis. Veſtrum fere omnium mater Etruria eſt, quae cum praeter iuſtam ſolertiam, quam huius luculentae nationis propriam eſſe virtutem omnes conſentiunt, Vobis proficiendi occaſionem conceſſerit, Vobis ipſis aperte declarat quantam ſibi famam pepererint quicumque humanae mentis in ſuis operationibus dirigendae praeceptis inſtructi fuerunt. Exemplum habetis doctiſſimorum Virorum, qui nobis prae gaudio geſtientibus Etruriae propriis cogitationibus peculiare decus & ornamentum addidere, atque univerſum terrarum orbem ingenii gloria compleverunt. Non ego Veſpuccium, Galilaeum, Ficinum, Magliabechium, Salvinium Florentinos, Cinum Piſtorienſem,

sem, Redium Arretinum, alioſque innumeros praeſtantiſſimo ingenio Viros, qui in cultoribus Etruriae Vrbibus floruère, commemorabo, qui nationem hanc univerſam, ubi nati & alti fuerunt, velut foecundam literatorum hominum parentem aucta nobiliſſimarum Facultatum cultura aſſiduis laboribus celeberrimam reddiderunt. Elapſa retro ſaecula amabo Vos, animo revolvatis neceſſe eſt. Haec Vobis abunde teſtantur quantum ſplendoris Academia haec noſtra ſemper adepta fuerit, quae ex noſtris exteriſque nationibus non modo Philoſophos habuit, & Mathematicos celeberrimos, quibus praecipue in inquirenda rerum veritate laudandum eſt, ut praecaeteris Scipionem, & Maximum Aquilanios, qui Pius natales ſuos ſortiti ſunt, Famianum Michelinium, & Philippum Fantonum Florentinos, Alphonſum Borellium Neapolitanum, Alexandrum Marchettum Piſtorienſem, & Guidonem Grandum Cremonenſem, ſed plurimos habuit praeſtantiſſimos Viros, qui nobiliores Diſciplinas Philoſophica ſolertia ingenioribus ornamentis locupletarunt, & Academiae huius nobiliſſimae Scientiarum omnium altricis celebritatem etiam apud nationes exteras deruleruntTheologia enim Ioanni Baptiſtae Aſtenſi, Romulo Laurentiano Florentino, Henrico Noritio Veronenſi, & Franciſco Orlendio Laudenſi plurimum debet, qui eam Pius ſupra caeteros illuſtrarunt. Habuit Iuriſprudentia Bartolum de Saſſoferrato, Baldum Peruſinum, Ratherium Arlendum Forolivienſem, Decium Mediolanenſem, Bartholomaeum, & Marianum Soccinios Senenſes. Felinum Sandaeum Ferrarienſem, & Ioſephum Averanium Florentinum, qui Facultatem hanc utiliſſimam ſolerter interpretati ſunt. Medicinam, & Anatomen Andreas Caeſalpinus Arretinus, Gabriel Fallopius Mutinenſis, Realdus Columbus Cremonenſis, Andreas Veſalius Bruxellenſis, Hieronymus Mercurialis Forolivienſis, Rodericus a Caſtro, & a Fonſeca Luſitani, Laurentius

Bel-

Bellinius Florentinus, atque alia celebertima Medicinae lumina in Academia Piſana proprijs inventis amplificarunt: Humaniores demum litetas Valerius Chimentellius Florentinus, Iulius Caeſar Bulengerus Gallus, Michael Angelus Bargaeus, Iacobus Gronovius Batavus, Benedictus Averanius, & Alexander Politus Florentini, atque alii ſumma cum laude profeſſi ſunt. Sed ne amplius abutar patientia veſtra cum Viros aliquos doctrina conſpicuos diuturna nimis oratione commemorando mihi videar percenſere, qui in hac perilluſtri Academia elapſis retro temporibus floruerunt, doctiſſimos omnes Viros, qui me dicentem audiunt, atque in omni Diſciplinarum genere clareſcunt, nunc quoque habet, qui Scientias mirifice colluſtrant, ſolertiamque excolere iuvenum litteris dedirorum non deſinunt. Vos igitur Iuvenes ornatiſſimi, relictis patriis laribus in celeberrimum Piſanum Gymnaſium Diſciplinarum omnium laude florentiſſimum conſuliſtis, ut inſtitutu primum Philoſophiae Rationalis curriculo a ſapientiſſimis Viris, quorum celebritate clareſcit, nobiles Diſciplinas perciperetis. Illorum facundia & elegantia ſermonis Attico lepore conſperſa, perſpicuitas orationis, & lucidus ordo Vos ipſos allectunt, & mirifice conſolantur. Vobis licet illorum doctrina frui, & ab ipſis mutuari ſapientiae lumina, quae Vos ad veri contemplationem perducant. Hic domicilium, & patriam Scientiis conceſſerunt maiores noſtri magnanimi divinarum, & humanarum cognitionum ſectatores, ut ſapientia perennibus irrigata fontibus, & antiquo educata cultu Palladis inſignia ſolertiſſimis iucunda Muſarum alumnis praeferret, & multos habitura triumphos ad publicam, privatamque felicitatem augeretur. Omnia vero, quae hic offeruntur diſcendi commoda quotidie magis amplificata ſumma cura tuetur Auguſtiſſimus CAESAR FRANCISCVS PRIMVS Invicti ſimus ROMANORVM IMPERATOR, & MAGNVS ETRVRIAE

RIAE DVX Pius, Felix, Potens, Christianae fidei, & pacis defensor, qui bono reipublicae natus haeroum vestigiis insistens pietatem, religionem, clementiam, atque omnia egregia, & praeclara multum diligit, nobilioresque Disciplinas humanissimo in dies amore fovere non desinit. Hujus auspicis faustissimis veritatis imperium agnoscitur, & quaecumque proficiscuntur a veritate optimarum Facultatum cultoribus enitescunt. Quantam vero peculiari Ejusdem munificentia in hac vetustissima, & celeberrima Academia Philosophiae Rationalis profitendae fuit mihi munus impositum, gratias pro tanto munere Illi ago quam maximas, & vehementer exopto ut Ipsum Augustamque Domum incolumem servet Deus ad perennem populorum omnium felicitatem. Atque utinam desiderium meum erga Illum, qui me licet immeritum tanto honore complexus est, erga Illustrissimos hujus Athenei Moderatores, genere, moribus, & doctrina conspicuos, quorum prudentia, & vigilantia Academia universa magnum asservat splendorem & ornamentum, erga sapientissimos Patres, & praestantissimos Viros, quorum ingenio, assiduisque laboribus Scientiae quotidie magis amplificantur, & denique erga Vos omnes, qui me ex hoc amplissimo loco dicentem audivistis, impleatur: Hoc enim unum optandum supereſt, ut quod mei muneris est adolescentibus sapientiae gloria inflammatis aliquo modo prodesse possim. DIXI.

F I N I S.

Digitized by Google